Romanum Pontificem conſulant: quia quod ſine noſtro vel ſucceſſorum noſtrorum judicio diſtractum vel diffinitum fuerit, irritum erit. Sane ad indicium perceptæ hujus a Romana Eccleſia libertatis, duodecim ſolidos monetæ veſtræ patriæ quotannis Lateranenſi palatio perſolvetis. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona, hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Cenſus annuus, ab eodem Monaſterio Lateranen. Palatio perſolvendus.

Solitæ clauſulæ confirmantes præſens privilegium.

Calliſti PP. ſubſcriptio.

EGO CALIXTUS, Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, ſs.

Dat. die 6. Octobris anno Domini 1119. Pontif. anno I.

Datum Pariſiis per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, VIII. Idus Octobris, Indict. XIII. Dominicæ Incarnationis anno MCXIX. Pontificatus autem Domni Calixti II. Papæ anno I.

V.

Confirmatio Capitulorum, a Monachis Ciſtercienſibus factorum ad obſervantiam regulę S. Benędicti.

Ex Baronii Annal. ad an. 1119.

Calixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimis in Chriſto filiis Stephano venerabili Ciſtercienſis Monaſterii Abbati, & ejus fratribus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Exordium.

AD hoc in Apoſtolicæ Sedis regimen, Domino diſponente, promoti conſpicimur, ut ipſo præſtante Religionem augere, & quæ recta, atque ad ſalutem animarum ſtatuta ſunt, noſtri debeamus auctoritate officii ſtabilire. Id circo, filii in Chriſto cariſſimi, petitioni veſtrę caritate debita impertimur aſſenſum: & religioni veſtræ paterno congratulantes affectu, Dei operi, quod cæpiſtis, manum noſtræ confirmationis apponimus. Siquidem conſenſu & deliberatione communi Abbatum & fratrum Monaſteriorum veſtrorum, & Epiſcoporum, in quorum Parochiis eadem Monaſteria continentur, quædam de obſervatione regulæ beati Benedicti, & de aliis nonnullis, quæ Ordini veſtro & loco neceſſaria videbantur, capitula ſtatuiſtis: quæ nimirum ad majorem Monaſterii quietem, & religionis obſervantiam, auctoritate Sedis Apoſtolicæ petitis confirmari. Nos ergo veſtro in Domino profectui congaudentes, capitula illa & conſtitutiones auctoritate apoſtolica confirmamus, & omnia in perpetuum rata permanere decernimus. Illud nominatim omnimodo prohibentes, ne Abbatum aliquis Monachos veſtros ſine regulari commendatione ſuſcipiat. Si qua igitur eccleſiaſtica ſæcularisve perſona noſtræ confirmationi, & conſtitutioni veſtræ temeritate aliqua obviare præſumpſerit, tamquam religionis & quietis monaſticæ perturbatrix, auctoritate beatorum Petri & Pauli, & noſtra, donec ſatisfaciat, excommunicationis gladio feriatur. Qui vero conſervator extiterit, omnipotentis Dei & Apoſtolorum ejus benedictionem & gratiam conſequatur. Interdicimus autem, ne quis converſos laicos profeſſos veſtros ad habitandum ſuſcipiat.

Confirmantur Capitula.

Et illud præcipue, ne quis Abbas Monachos Ciſtercienſes ſine Abbatis conſenſu excipiat.

Solitæ clauſulæ.

Calixti Pp. ſubſcriptio.

EGO CALIXTUS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus confirmavi, & ſubſcripſi.

Dat. die 23. Decemb. anno Domini 1119. ann. I.

Datum Sodoloci per manum Chryſogoni ſanctæ Romanę Eccleſiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, decimo Kalendas Januarii, Indictione XII. Incarnationis Dominicæ milleſimo centeſimo decimonono, Pontificatus autem Domini Calixti Secundi Papæ anno primo.

VI.

Confirmatio bonorum omnium, conſuetudinum, & jurium Trenorcenſis Monaſterii.

Ex Chiffletii Hiſtoria Trenorcienſi.

Calixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Canonicis Biſuntinæ Eccleſiæ ſancti Johannis Euangeliſtæ, tam præſentibus quam futuris, in perpetuum.

Exordium.

SIcut injuſta poſcentibus nullus eſt tribuendus effectus, ſic legitima deſiderantium non eſt differenda petitio. Quamobrem, chariſſimi in Chriſto filii, petitioni veſtræ clementer annuimus, & tam vos quam veſtra omnia protectione Sedis Apoſtolicæ munientes, quæ in præſentiarum legitime poſſidere debere videmini, vobis veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum confirmamus: videlicet domos veſtras, quæ ſunt infra exterius clauſtrum, Eccleſiam ſancti Johannis Baptiſtæ juxta Nigram portam cum decimis, & appenditiis ſuis: Clauſtrum, ſub curias Epiſcopi ſitum: Tertiam partem Biſuntinæ monetæ; itaut nęmo de terra S. Johannis eam alibi transferre, vel ipſius monetæ examina facienda, inferius a cappella ſancti Quintini tranſmutare præſumat: molendina de Batent, molendinum in Ripa, & aliud in Curvata, quod ab Hugone fratre noſtro felicis memoriæ Biſuntino Archiepiſcopo, & manſum in Alfo, & modium vini in Majorra villa pro anniverſario ejus collatum eſt: Eccleſiam ſancti Petri infra Urbem, ex domo Hugonis Archiepiſcopi de Monteſalconis: Eccleſiam ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ad theſaurum veſtrum pertinentem: Archidiaconatum unum de Voga, ex dono prædicti Hugonis: Poteſtatem Poliaci, & in eadem Villa Eccleſiam ſancti Albini cum omnibus appendiciis ſuis: Villam ſancti Viti cum Eccleſia, & appenditiis: In Marciano Eccleſiam ſancti Martini cum decimis & appendiciis, manſos quinque, & villam Saliniaci cum eccleſia & omnibus appenditiis. villam Cuſſiacum, cum villa Romanella, & cum eccleſia & appendiciis, Eccleſiam ſancti Mauritii in Gradico cum decimis & appendiciis ſuis: In villa Aymeſtez, in Bruciaco, & Averniaco quidquid collatum eſt pro Lentaldo Comite: In Salinis Eccleſiam ſancti Mauricii cum decimis & appendiciis ſuis, & medietatem Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, & cappellam ſancti Petri: In eadem villa Caldariam unam & dimidiam ad ſal conficiendum: In villa Pontiliaco

Bona omnia Trenorcien. Monachis cōfirmantur;

Eccleſiam ſancti Mauricii cum decimis & appendiciis ſuis: In villa Cuiniaco Eccleſiam ſancti Valerii cum decimis & pertinentiis ſuis, quæ ad theſarum veſtrum reſpiravit: Cappellam S. Genulfi cum appendiciis ſuis de villa Taloniaco: Eccleſiam de Sancei cum appendiciis ſuis: Eccleſiam S. Benigni de Pont cum appendiciis ſuis: Eccleſias de Donna-maria, de Anſengens, de Malengis, de Lavens, de Lavenchez, de Sar magis, de Tarva, de Cavamiey, & de Vincella cum appendiciis earum: Alodium Stephani de Montmerel, in quo Eccleſia de Loya-nova ſita eſt. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eamdem Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur, eorum, pro quorum ſubſtentatione, & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura. Porro theſaurum veſtræ Eccleſiæ, niſi forte pro redemptione captivorum, vel famis neceſſitate, aut emptione terrarum, ab aliquo diſtrahi prohibemus. Sane veſtris Archipresbyteris, & Archidiaconis interdicimus, ut Eccleſias veſtras, & earum Presbyteros, ſeu clericos, præter Archiepiſcopi, & totius Capituli veſtri commune conſilium, interdictionis ſententiæ ſubdere non præſumant. Præterea quieti veſtræ Eccleſię propenſius intendentes, & ejus ſervare juſtitiam cupientes, conſuetudines, quas Beati Stephani Eccleſia ei ex antiquo debere cognoſcitur, & quę continentur in Libro, qui nuncupantur Regula, confirmamus; ut videlicet in Purificatione ſanctæ Mariæ, Canonici S. Stephani ad proceſſionem conveniant, & cereos ſeptuaginta duos exhibeant: In Cœna Domini, cum candelabris, & mojori Cruce ad ſancti Chriſmatis confectionem conveniant: In Sabbato Sancto ſex libras ceræ ad magnum cereum faciendum præbeant: Canonicos quatuor ad legendas quatuor lectiones, & præter illos Presbyterum Canonicum ad collectam: Ipſo die Paſchæ, brachium Beati Stephani cum proceſſione ſollemniter afferant: In Sabbato Pentecoſtes duos Canonicos ad legendas duas lectiones mittant, & pręter illos Prsbyterum Canonicum ad collectam: In meſſione, & vindemia Poliaci, ceram, quę ſufficiat: In feſto S. Stephani in Auguſto, vaccam, vel quatuor ſolidos, & modium vini: In Ultrajurenſi vindemia ceram, quę ſufficiat: Per totum annum, dum erit vinum in cellario ſancti Johannis, cubitum unum candelę in unoquoque ſero tribuant: Si Canonici ſimul cœnaverint, candelam in cœna, quantum opus fuerit; ſin autem, unicuique Canonico, qui moratur a Nigra porta uſque ad antiquum murum, dimidium pedem candelæ: Præpoſito ulnam unam; Decano ſimiliter: In Nativitate Domini ſicut in Paſcha, brachium ſancti Stephani cum proceſſione ſollemniter afferant: De toto monte clerici, ſeu laici decimam Parochiæ veſtræ attribuant; laici tamen omnia jura Parochialia Eccleſiæ ſancti Johannis Baptiſtæ perſolvant: Si quando ſit Placitum Dei, oblatio inter S. Johannis, & S. Stephani Canonicos dividatur: Cimiterium ſancti Stephani, cum eleemoſyna Caſati, utrique Eccleſiæ commune permaneat: In receptione tuam Regum, quàm Epiſcoporum, clerici ſancti Stephani ad Eccleſiam veſtram cum ſericis cappis veniant: In electione Biſuntini Archiepiſcopi, clerus, & populus civitatis, ſecundum antiquam veſtræ Eccleſiæ conſuetudinem, in Capitulo veſtro conveniant. Univerſas etiam conſuetudines, & tenores, quos a tempore Salinenſis Hugonis, Archiepiſcopi veſtri, uſque ad tempus jam dicti fratris noſtri Hugonis, veſtri ſimiliter Archiepiſcopi, qui in Jeroſolymitana peregrinatione defunctus eſt, veſtra Eccleſia tenuit & poſſedit, ut deinceps integre quieteque teneat, & poſſideat, firmitate perpetua ſtabilimus. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæcularisve perſona, hanc noſtrę conſtitutionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendaverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & a ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictę ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem Eccleſiæ juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Decretum omnimodæ libertatis a cujuſcumque perſonæ moleſtia:

Confirmantur quoque conſuetudines Eccleſiæ S. Stephani favore eorumdem Monach.

Aliæ decimæ ſeu conſuetudines; & jura approbantur;

Solitæ clauſulæ.

Calliſti PP. ſubſcriptio.

CALIXTUS Catholicę Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Dat. die 15. Februarii anno Domini 1120. Pontif. anno II.

Datum Romanis, XV. Kalendas Martii, Indictione XIII. Incarnationis Dominicæ anno MCXX. Pontificatus autem Domni Calixti Secundi Papæ anno Secundo.

VII.

Confirmatio bonorum omnium, & privilegiorum Monaſterii Cluniacenſis, cujus Abbatibus conceditur jus cudendi monetas.

Ex Chartario S. Mariæ de Gernajo edidit Marrier Biblioth. Cluniac. col. 573.

Calixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio Pontio Cluniacenſi Abbati, ejuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis, in perpetuum.

RElígionis Monaſticæ modernis temporibus ſpeculum, & in Galliarum partibus documentum, beati Petri Cluniacenſe Monaſterium ab ipſo ſuæ fundationis exordio Sedi Apoſtolicę in jus proprium eſt oblatum. Proinde Patres noſtri ſanctæ recordationis Joannes XI. item Joannes XII. Agapitus II. Benedictus VI. item Benedictus VII. Leo VII. item Leo IX. Gregorius VI. item Gregorius VII. Alexander II. Stephanus, Victor III. Urbanus II. Paſchalis II. & Gelaſios II. Eccleſiæ Romanæ Pontifices, locum ipſum ſingularis dilectionis, ac libertatis prærogativa donarunt, & univerſa ei pertinentia privilegiorum ſuorum ſanctionibus muniverunt. Statutum eſt enim, ut omnes Eccleſiæ, Cimiteria, Monachi, & laici univerſi infra terminos habitantes, qui ſunt a rivo de Salnai, & ab Eccleſia Ruſiaci & Cruce de Lornant, a termino quoque molendini de Tornaſach, per villam, quæ dicitur Varentia, cum nemore Burſeio: a termino etiam, qui dicitur Perois, ad rivum uſque de Salnai, ſub Apoſtolicæ tantùm Sedis jure ac tuitione permaneant. Neque ipſi Cluniacenſis loci Preſbyteri, aut etiam parrochiani, ad cujuslibet, niſi Romani Pontificis, & Cluniacenſis Abbatis ca-

Cluniac. Monaſt. ſub perpetuo jure Sedis Apoſt.

Pontifices, qui privilegiis illud donarunt:

Limites juriſdictionis Monaſt. Cluniac.

Privilegia, quæ eidem confirmantur;

cogantur ire Synodum vel Conventum. Sane pro Abbatis, Monachorum, ſeu Clericorum, infra prædictos terminos habitantium ordinatione, pro Chriſmatis confectione, pro ſacri Olei, Eccleſiarum, Altarium, & Cimiteriorum conſecratione, Cluniacenſe Monaſterium, quem maluerit, Antiſtitem convocet. Cluniacenſes Monachos, vibilibet habitantes, nulla omnino perſona præter Romanum Pontificem, & Legatum, qui ad hoc miſſus fuerit, excommunicet, & interdicat. Porro ſi Monacus, Clericus, aut Laicus, ſive cujuslibet Ordinis profeſſioniſve perſona, niſi forte certa de cauſa excommunicata ſit, Cluniacenſium Clauſtrorum manſiones elegerit, abſque contradictione alicujus ſuſcipiatur, & quæ de ſuo jure attulerit, libere a Monaſterio habeantur. Altaria, Cimiteria, & decimæ Cluniacenſium Monachorum, & quæcumque juris eorum ſunt, a nemine auferantur, vel minuantur. De Monachis, aut Monaſteriis Cluniacenſibus nulli Epiſcoporum, ſalvo jure canonico, ſi quod in eis habent, liceat judicare; ſed ab Abbate Cluniacenſi juſtitia requiratur: quam ſi apud eum invenire nequiverit, ad Sedem Apoſtolicam recurratur.

Abbatiæ eidem ſubiectæ;

In Abbatiis, quæ cum ſuis Abbatibus ordinationi Cluniacenſis Monaſterii datæ ſunt, videlicet S. Martialis Lemovicenſis, S. Eparci Engoliſmenſis, Monaſterii novi Pictavis, ſancti Johannis Angeliacenſis, Monaſterii Leſatenſis, Moyſiacenſis, Figiacenſis, & S. Egidii Hemauſenſis: In Arvernia, Mauſiacenſis, Tiernenſis, Menacenſis: In Epiſcopatu Eduenſi, Vizeliacenſis: In Antiſiodorenſi, S. Germani: In Cameracenſi, Hunol-curtis: In Rothomagenſe, Abbatia apud Pontem Saram: In Tarcurnenſi, S. Bertini, & S. Wlmari: In Italia, S. Benedicti ſuper Padum, ſine Cluniacenſis Abbatis præcepto nullatenus eligant.

In quibus non eligendi Abbates, niſi habito prius cõſenſu Abb. Cluniac.

Pro altaribus, & Eccleſiis, ſive decimis veſtris, nulli Epiſcoporum facultas ſit, gravamen aliquod vobis, aut moleſtias irrogare; ſed ſicut eorum promiſſione quædam ex parte, quædam ex integro habuiſtis, ita & in futurum habeatis.

Omnimoda exemptio a quocumque gravamine etiam decimarum &c.

Eccleſiarum veſtrarum decimas, quæ a laicis obtinentur, ſi ſecundùm Deum eorum poteſtati ſubtrahere veſtræ Religionis reverentia poterit, ad veſtram & pauperum gubernationem vobis liceat poſſidere. Decimas laborum veſtrorum, pro quibus tam vos, quàm alios Monaſticæ Religionis viros inquietare Epiſcopi conſueverunt, illorum videlicet, quos dominicaturas appellant, qui veſtro ſumptu a Monaſteriis, & Cellæ veſtræ clientibus excoluntur, ſine omni Epiſcoporum, & epiſcopalium Miniſtrorum contradictione deinceps quietiùs habeatis, qui veſtra peregrinis fratribus, & pauperibus erogatis. Eccleſiæ omnes, quæ ubilibet poſitæ ſunt, ſeu Cappella veſtra, & Cimiteria libera ſint, & omnis exactionis immunia, præter conſuetam Epiſcopi paratam, & juſtitiam in Presbyteros, ſi adverſus ſui Ordinis dignitatem offenderint; Liceatque vobis, ſeu fratribus veſtris, in Eccleſiis veſtris Presbyteros eligere, ita tamen, ut ab Epiſcopis, vel ab Epiſcoporum Vicariis animarum curam abſque venalitate ſuſcipiant: Quam ſi committere illi, quod abſit, ex pravitate noluerint, tunc Presbyteri ex Apoſtolicæ Sedis benignitate officia celebrandi licentiam conſequantur.

In quo ab Epiſcopis locorum dependere debeant Monachi, vel Preſbyteri, eorum Eccleſiis inſervientes.

Eccleſiarum veſtrarum conſecrationes, ſi diœceſani Epiſcopi gratis noluerint exhibere, a quolibet Catholico ſuſcipietis Epiſcopo. Nec cellarum veſtrarum, ubilibet poſitarum, fratres pro qualibet interdictione vel excommunicatione, divinorum officiorum ſuſpenſionem patiantur; ſed tam Monachi ipſi, quàm famuli eorum, & qui ſe profeſſioni Monaſticæ devoverunt, clauſis Eccleſiarum januis, non admiſſis diœceſanis, divinæ ſervitutis officia celebrent, & ſepulturæ officia peragant. Percuſſuram quoque proprii nummiſmatis, vel monetæ, quandocumque, vel quamdiu vobis placuerit, habeatis.

Jus cudendi Monetas. Solitæ clauſulæ; confirmantes præſentem Paginam.

Hæc igitur omnia, ſicut a noſtris prædeceſſoribus conſtituta ſunt, ita & nos auctoritate Apoſtolica conſtituimus, & præſentis privilegii decreto confirmamus. Præterea, fili in Chriſto Ponti, quem nos, in Viennenſis Eccleſiæ poſiti regimine, noſtris per Dei gratiam manibus in Abbatem conſecravimus, & perſonam tuam, & locum, cui Deo auctore præſides, totis dilectionis viſceribus amplectentes, & quieti veſtræ attentiùs providentes, hæc adjicienda cenſuimus, ut Abbatiarum veſtrarum electis nullus Epiſcoporum, ſine commendatitiis Cluniacenſis Abbatis litteris, conſecrationis vel ordinationis manus imponat; Alioquin conſecrator, & tamquam Conſtitutionis Apoſtolicæ prævaricator, graviora ſubjacere ultioni: & conſecrati electio, ſive ordinatio, donec Apoſtolicæ Sedi, & ejus Cluniacenſi Monaſterio ſatisfiat, irrita habeatur. Porro Preſbyteris parochialium Eccleſiarum S. Mariæ, & S. Oddonis Cluniacenſium, ejiciendi, & ſuſcipiendi in Eccleſiam ex antiqua conſuetudine pœnitentes, & nuptiales chartas faciendi licentiam indulgemus: Prohibentes, tam Matiſconenſem Epiſcopum, quàm & alios ſuper hoc, vel ſuper aliis, quę ſtatuta ſunt, vobis moleſtias irrogare. Si quis igitur auſu temerario, impiaque præſumptione contra Deum, & Sanctos ejus Apoſtolos, contraque animam ſuam, hoc noſtræ Apoſtolicæ auctoritatis privilegium in aliquo infringere tentaverit, incunctanter ſe noſtræ Apoſtolicæ maledictionis noverit aculeo tranſpunctum, noſtræ Apoſtolicæ excommunicationis telo perfoſſum, noſtri etiam Apoſtolici anathematis gladio tranſverberatum, nec niſi per dignam ſatisfactionem ſaluti priſtinæ reparandum. Ei verò, qui conſervator extiterit, ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti; quatinus, & hìc fructum bonæ actionis percipiat, & apud diſtrictum Judicem præmia æternę pacis inveniat. Amen.

EGO CALIXTUS Catholicæ Eccleſiæ Epiſc.

Calixti PP. ſubſcriptio.

Datum Valentiæ per manus Chryſogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii, VIII. Kal. Martii Indict. XIII. Incarnat. Dominicæ anno MCXX. Pontificatus autem Domni Calixti Secundi Papæ anno II.

Dat. die 22. Februarii anno Domini 1120. Pontif. anno II.

An-

VIII.

Antiqua Viennenſis Eccleſiæ Privilegia confirmantur.

Ex Bibliotheca Floriac. in hiſt. Archiep. Viennen. Gal. liaChriſt. edit. Pariſinæ anni 1656. T. I

Calixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Petro Decano, & Canonicis ſive Clericis Viennenſis Eccleſię, tam præſentibus quam futuris, in perpetuum.

ETſi Eccleſiarum omnium cura nobis ex Apoſtolicę Sedis adminiſtratione immineant, Viennenſi tamen ſpecialius convenit ſtudio providere; Ipſa enim primum, diſponente Deo, ſolicitudini noſtrę commiſſa eſt, & ad ejus regimen nos Epiſcopalis gratiam conſecrationis accepimus.

Calliſtus PP. antea Viennenſis Epiſcopus.

Et communis igitur & ſingularis dilectionis debito incitati, matrem veſtram, filii in Chriſto cariſſimi, ſanctam Viennenſem Eccleſiam diligere, honorare, & beati Petri patrocinio decrevimus confovere. Omnem itaque dignitatem, & munitionem, ac liberalitatem, quam vel per authentica prædeceſſorum noſtrorum Silveſtri, Nicolai, Leonis, Gregorii, & cæterorum Romanorum Pontificum privilegia, vel per Imperatorum, Regum, Principum, & cæterorum fidelium largitionem conceſſa obtinet, nos quoque, auctore Deo, concedimus, & prȩſentis privilegii pagina confirmamus.

Confirmantur Privilegia omnia Pontificia, Imperialia, & Regia:

Ut videlicet ſuper ſeptem provincias primatum obtineat, ſuper ipſam Viennenſem, ſuper Bituriacam, Burdigalam, Auxitanam, quæ Novem-populitana dicitur, ſuper Narbonam, Aquenſem, & Ebredunenſem: & in eis Viennenſis Archiepiſcopus Romani Pontificis vices agat, ſynodales conventus indicat, & negotia eccleſiaſtica juſte canoniceque definiat.

Primatus Viennen. Eccleſiæ ſuper ſeptem Provincias.

Porro illa ſex oppida vel civitates, Gratianopolis videlicet, Valentia, Dia, Alba, Vivarium, Geneva, Maurienna, in ejus tanquam in proprii Metropolitani obedientia & ſubjectione permaneant.

Sex aliȩ civitates eidem ſubjectæ:

Tarantaſienſis autem Archiepiſcopus, licet aliquibus habeatur ex Apoſtolicæ Sedis liberalitate prælatus, Viennenſi Archiepiſcopo tanquam Primati ſuo ſubjectus obediat.

Et Tarentaſiæ Archiepiſcopus tamquam Primati.

Sane in Salmoracenſi Archidiaconia conſecrationes, vel ordinationes, & quidquid ad Pontificale officium pertinet, Viennenſis Eccleſia præter alicujus inquietationem ſeu diminutionem habeat. Abbatia quoque ſancti Petri, foris portam Viennæ ſita, & intra eamdem urbem Abbatia ſancti Andreæ, una Monachorum, altera Sanctimonialium, Abbatia ſancti Teuderii, & Abbatia ſanctæ Mariæ de Bonbvelle, quæ præſtante Deo, noſtris ſumptibus, & noſtris eſt fundata laboribus, in ſæpedictæ Viennenſis Eccleſiæ jure ac ſubjectione perſiſtant.

Aliæ Eccleſiæ & Monaſteria ſub illius jure poſita;

In ipſa etiam Romanenſi Eccleſia, quamvis Romanæ ſe faciat libertatis, viſis tamen prædeceſſorum noſtrorum privilegiis, & Imperatorum præceptis, tam in ſæcularibus, quam in regularibus clericis & Canonicis, inibi ordinatis vel ordinandis, Pontifices Viennenſes omnem habere decernimus poteſtatem; ſimiliter in Eccleſia beati Donati, & beati Valerii, & Eccleſiæ beati Petri de Campania, & beatæ Mariæ de Annonico. Caſtra præterea, quæ per nos recuperata ſunt vel acquiſita, ſcilicet Pompejacum, Saſſerlum, & caſtrum de Malvall, Viennenſi Eccleſiæ in perpetuum confirmamus. Cœmeterium vero, quod Dominus prȩdeceſſor noſter ſanctȩ memoriæ Paſchalis Papa circa beati Mauritii Eccleſiam conſecravit, liberum eſſe ſancimus: ut eorum, qui illic ſepeliri deliberaverint, & devotioni, & extremȩ voluntati, niſi forte excommunicati ſint, nullus obſiſtat, ſalvo nimirum propriæ jure Parochiæ. Ad hæc, pro ampliori Viennenſis Eccleſiæ dilectione, ante Viennenſem Archiepiſcopum per provinciam ſuam crucem deferri concedimus; & Viennenſem Eccleſiam alicui ſubjacere Legato, niſi Cardinali, vel alii de Romana provincia, qui a Romani Pontificis latere dirigitur, prohibemus.

Viennenſis Eccleſia ſoli Romano Pontifici, & ejus de latere Legatis ſubjecta;

Porro in Eccleſiis, quas in Viennenſi Epiſcopatu poſt aſſumptum Apoſtolicæ Sedis miniſterium conſecravimus, Viennenſis Archiepiſcopus eamdem, quam habuerat ante, interdicendi ac ordinandi habeat poteſtatem. Sane intra clauſtri ambitum, ubi Clericorum manſiones continentur, nullus omnino laicorum deinceps habeat manſionem, aut aſſultum, vel rapinam facere, ſeu corporalem cuilibet audeat injuriam irrogare. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſæculariſve perſona, hanc noſtræ confirmationis vel conceſſionis paginam ſciens, contra eam temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrua emendeverit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat; & a ſacratiſſimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini noſtri Redemptoris Jeſu Chriſti aliena fiat, atque in etremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat.

Confirmatio præſentis Diplomatis per ſolitas clauſulas.

Cunctis autem eidem Eccleſiæ juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & hìc fructum bonæ actionis ſentiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

EGO CALIXTUS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Calliſti PP. ſubſcriptio.

Datum Valentiæ V. Kal. Martii, Indictione decimatertia, Incarnationis Dominicæ anno MCXX. Pontificatus autem Domni Calixti II. Papæ anno ſecundo.

Dat. die 25. Februarii anno Domini 1120. Pontif. anno II.

IX.

Confirmatio donationum omnium, a Gunnario ejuſque uxore factarum Caſſinenſi Monaſterio, addito annuo cenſu Lateranenſi Palatio per Monachos perſolvendo.

Ex Originali in Archivo edidit Gattula Hiſt. Caſſinen. Sæc. vii. pag. 425.

Calixtus Epiſcopus Servus Servorum Dei, chariſſimis in Chriſto filiis, Girardo Caſſinenſis Monaſterii Abbati, & ejus Fratribus tam præſentibus quam futuris, in perpetuum.

Exordium.

ET commiſſi nobis officii ſolicitudo depoſcit, & paternæ charitatis benignitas nos compellit, ut Eccleſiarum omnium providere neceſſitatibus debeamus: Verumtamen locis illis, & perſonis, quæ ſpecialiùs ac familiariùs Romanæ adhærent Eccleſiæ, quæque amplioris religionis, & dignitatis gratia præeminent, propenſiori nos convenit affectionis ſtudio imminere. Ea propter, filii in Chriſto Kariſſimi, petitioni veſtræ non immerito annuendum cenſuimus, ut in Sardiniæ partibus de beati Petri oblatione ſubſtentationi veſtræ ſubſidium aliquod conferamus. Per prȩſentis igitur ſcripti auctoritatem vobis veſtriſque